



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 98. Coloniensis Archiepiscopus a Papa anathemate percussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. Episcopi hisce Papæ rationibus parum
 A.C. 1546. commoti videntur, cum illorum potissimi
 in suis Dioecesibus permanferint.

§. XCVIII.

*Coloniensis Archiepiscopus a Papa
 anathemate percussus.*

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 7. c. 1. n. 1. & seq. Sleid. l. 17. p. 580. Thuan. l. 2. ad hunc ann. Cum vero Clerus, atque Universitas
 Coloniensis litem suam adversus
 suum Archiepiscopum magno studio ur-
 gerent, nec non iudicii acta contra il-
 lum Romæ incepta ad exitum deduci
 ardentem sollicitarent, hinc summus Pon-
 tifex die decima sexta Aprilis lata ana-
 thematis sententia illum, eo quod suæ sa-
 lutis immemor, contra regulas & doctri-
 nam Ecclesiasticam, & Apostolorum tra-
 ditiones, contra Christianæ Religionis
 consuetos in Ecclesia ritus atque ceremo-
 nias, contra Leonis X. censuram, adver-
 sus Lutherum atque socios editam, non
 uno modo peccarit, ab Ecclesiæ commu-
 nione submovet, & Archiepiscopatu ce-
 terisque Sacerdotiis omnibus, & privi-
 legiis, & facultatibus privat, & ipsius
 conditionis populo mandat in universum, ne
 deinceps ei pareant, jusiurandum etiam,
 quo sunt ei devincti, remittit, eique si-
 lentium imponit, & ut sumptum litis
 adversæ parti restituat, edicit.

Hac

Hac in caussa Coloniensibus erant ^{Sæcul. XVI.} juncti Leodiensis & Ultrajectinus Epi- ^{A. C. 1546.} scopi unacum Lovaniensi Universitate, moxque hæc Pontificis sententia Romæ mense Augusto typis fuit excusa unacum alio Diplomate, vi cujus Papa præcepit, ut omnes Adolpho Comiti de Schwarzenburg, quem Archiepiscopus tanquam Coadjutorem suum selegerat, obedientiam præstarent. Verum Cæsar, quantumvis a Papa impense rogatus, hanc sententiam ad effectum deduci noluit, semperque cum hoc Electore versatus, eundem in suis literis Archiepiscopi nomine decoravit (*), hac per motus caussa, eoquod bellum in Protestantes movere intentus, hunc Præsulem eo inducere statuisset, ut nullas illis suppetias ferret, eorumque copiis transitum denegaret, jussus, ut Cæsareis Belliducibus obtemperaret, ex cujus mandati obsequio maxima in Religionem utilitas redundasset.

M m 3

§. XCIX.

(*) Hæc Continuator ex suo ementito Suavi defloravit, quem tamen Pallavicinus l. c. confutat, narratque, quod hic Archiepiscopus Insulis exutus, ac Septemvirali dignitate, seniumque indecorum agens, inter paternos oppidi lares extinctus sit.